



Prot. N. 01785/2024-453/24/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev. da M. Ioachima González Salas, Superiorissa Generali Congregationis Sororum Franciscanarum a Sacris Cordibus, in iubilaeo Beatae Mariae de Monte Carmelo a Iesu Infante González Ramos, quae ipsum Institutum condidit, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a sororibus, eiusdem Congregationis sodalibus et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die VII Iunii usque ad diem X Novembris MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Domus Matricis sacellum vel quodlibet iubilare templum praefato Instituto ubicumque spectans, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilare ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Beatae Fundatricis exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Sanctae Deiparae Virginis et Beatae Mariae de Monte Carmelo a Iesu Infante.

Senes, infirmi necnon eos curantes et omnes qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXIII mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIV.

Angelus card. de Bonatis
Paenitentiarum Major

Christophorus Nykil